

hospitia, 412 religiosos;¹¹⁶ et sub suo regimine pastorali circa 300.000 animarum.¹¹⁷

Ergo stat conclusio: ante introductionem reformationis Concilii Tridentini, in territorio ubi Franciscani Provinciae Bosnae exercebant curam animarum, jam existebant parochiae formales (etsi vasti territorii) a conventibus localiter distantes, eisdem tamen subjacentes in temporalibus et spiritualibus, utpote ab ipsis fundatae et erectae, ad quas singuli fratres deputabantur. Conventus ipsi sunt etiam sedes parochiae localis non distantis, de quo nullum dubium est.

Ex hucusque breviter expositis jam suo loco deductae conclusiones et systema in administratione curae pastoralis patent, ideo in fine hujus capitinis, ne dicta repetantur, restringimur solummodo ad sequentes affirmationes, quae in praehabita expositione fundantur.

Franciscani Provinciae Bosnae Argentine venientes in Bosnam inquisitores (ut in aliis quoque terris catholicis mos erat) auctoritate et concessione Romanorum Pontificium, suscepérunt in se officium munera pastora lis quod postea et ad alias terras croaticas praeassertim post Turcarum domini expansionem, extenderunt. — Possidebant numerosos conventus formatos canonice erectos; et praeter hos conventus habebant alias domus seu loca. Fundarunt et erexerunt multas parochias, quarum sedes erant in ipsis conventibus et in locis ab illis distantibus. Quae parochiae erant divisae inter conventus, ipsisque in spiritualibus et materialibus subjectae. Parochias inserviunt Franciscani ut parochi, soli vel cum sociis, saltem ab occupatione Bosnae per Othomanos.

¹¹⁶ »Hoc anno (1639) in provincia bosnensi erant conventus 17 hospitia 100, fratres vero universim 412.« Fermendžin, Chronicon observantis provinciae Bosnae Argentine, in Starine, XXII, (1892), 36.

¹¹⁷ Archivum Prop., Acta, 1638—39, v. 13 f. 300v.